Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Ernst Ehrenfried Geier Johann Gabriel Kühnel

Problema Philologicum An Potus Coffee Dicti Vestigia In Hebraeo Scripturae S. Codice Reperiantur?

Vitembergae: Eichsfeldius, 1740

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682/phys_0001
DFG

Ad 1027 1-22

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682/phys_0002
DFG

Bibliotheca Academica Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682/phys_0003
DFG

ΠΡΟΒΛΗΜΑ PHILOLOGICVM

AN

POTVS COFFEE DICTI VESTIGIA IN HEBRAEO SCRIPTVRAE S. CODICE REPERIANTVR?

PROBABILE REDDITVM

CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ALMA LEVCOREA LONGE CELEBERRIMA

D. IV. CALEND. OCT. A. O. R. CIↃ IↃ CC XL.

ERVDITORVM EXAMINI PVBLICO

MODESTE SVBMITTENT

H. L. C.

PRAESES

M. ERNESTVS EHRENFRIED GEIERVS

PFOERTENA-LVSATVS

ET

IOANNES GABRIEL KVHNELIVS

PLOEZCOV-SAXO.

VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682/phys_0005

DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682/phys_0006
DFG

בש״ש

CAPVT I.

DE EO, QVOD HAC IN RE

In Jo. E. Kappens Samlung einiger vertrauten Brieffe, zwischen den Hl. G. W. v. Leibnitz und Hl. Dan. E. Jablonski gewechselt, Leipz. 1745. 8. pag. m. 2. Im folgenden Jahre hat der seel. Hl. Inspector Neumann (in Breßlau) dem Hl. v. Leibnitz seine Bigam difficultatum Physico-sacrarum de Gemmis Urim et Tummim dictis Exod. 28. v. 30. et de Cibo Samariae obsessae 2. Reg. 6. v. 25. una cum responsione ad quaest. amici: Num potus Caffe dicti aliqua in sacris dentur vestigia? occasione loci 2. Sam. 17. v. 28. öffentlich zugeschrieben. Conf. de hac materia C. G. B. Wahrsagerin aus dem Coffee-Schälgen, Leipz. 1742. 4. in der Vorerinnerung, pag. 3. 4. 5.

do nominibus, in Phil. Defin. P. I. p. 27. eiusmodi, quae rei genesin, seu modum, quo ea fieri potest, exponit. Γένεσιν enim, seu originem rei tradit, quae est farina, vel potius puluis ex fabis tostis confecta. Ὡς ἐκ περισσεύματος causam finalem addidi, quo definitum eo clarius pateat, & ab aliis internoscatur; superfluis quippe non nocentibus, sed rem potius illustrantibus.

§. II. Eam autem ex iis desumsi, quae Hubnerus in Lexicis suis de fructu Coffée habet, quorum alteri titulum fecit: Staats-Zeitungs- und Conuersations-Lexicon, alteri: Natur-Lexicon, quorumque potiora momenta hic adscribere lubet. Sunt, quae sequuntur: Coffée, Caffé, Choaua, Chaube, Caue ist ein aufgeschossen Bohnen-Gewächse, welches sehr häuffig in dem Königreich Yemen im glückseeligen Arabien, und sonderlich um Mecha in offenen Feldern, ohne daß es gepflantzet wird, in Schalen wächst. Die Frucht ist in



בשש

CAPVT I.
DE EO, QVOD HAC IN RE FIRMO TALO NITITVR.

SECTIO I.
DE EXTRA-ESSENTIALIBVS THEMATIS, H. E. DE IIS, QVAE ILLVD CIRCVMSTANT.

Thesis I.

Materia, ex qua potus Coffée conficitur, ad legumina pertinet, & constat ex fabis tostis in farinam conuersis, eiusque palmarius vsus in refrigerando collocatur.

ΕΚΘΕΣΙΣ

§. I. Fundamenti loco thesin hanc ponendam duxi, quoniam exinde accurata potus huius *definitio*, vel, si mauis, descriptio facili negotio peti potest, quae quidem haec erit: *Est Coffée potus, constans ex fabis tostis, in farinam conuersis, refrigerationi potissimum inseruiens.* Genetica seu realis est haec definitio, i. e. dicente Cel. *Baumeistero*, Praeceptore quondam meo multis colendo nominibus, in Phil. Defin. P. I. p. 27. eiusmodi, quae rei genesin, seu modum, quo ea fieri potest, exponit. γένεσιν enim, seu originem rei tradit, quae est farina, vel potius puluis ex fabis tostis confecta. ὡς ἐκ περιστεύματος causam finalem addidi, quo definitum eo clarius pateat, & ab aliis internoscatur; superfluis quippe non nocentibus, sed rem potius illustrantibus.

§. II. Eam autem ex iis desumsi, quae Hubnerus in Lexicis suis de fructu Coffée habet, quorum alteri titulum fecit: Staats-Zeitungs- und Conuersations-Lexicon, alteri: Natur-Lexicon, quorumque potiora momenta hic adscribere lubet. Sunt, quae sequuntur: Coffée, Caffé, Choaua, Chaube, Caue ist ein aufgeschossen Bohnen-Gewächse, welches sehr häuffig in dem Königreich Yemen im glückseeligen Arabien, und sonderlich um Mecha in offenen Feldern, ohne daß es gepflantzet wird, in Schalen wächst. Die Frucht ist in

der Grösse ablänglicht rund wie Oliven, und bleibt so lange an den Bäumen hangen, biß die Schaalen von sich selbst anfangen zu bersten. = = = Es bereiten die Araber den Coffée auf zweyerley weise, entweder mit den Schalen dieses Gewächses, oder nur aus dem Kern, es soll aber diese nicht so kräfftig seyn als jene, auch gantz wiedrige Würckung haben, indem das eine erfrischet und das andere erhitzt. = = = Diese Caffé-Bohnen werden in einer küpffernen Pfanne über Kohlen gebrannt oder geröstet, hernach zu Pulver gestossen oder gemahlen, in siedheissen Wasser oder Milch aufgekocht, und so warm, als man es leiden kan, getruncken. Dergleichen Tranck soll nicht allein gute Nahrung geben, und vor das Wallen des Geblüts dienen, sondern auch munter machen, und vor den Stein, Podagra und viele andere Zufälle gut seyn. Plura qui desiderant, adeant Auth. cit. & quidem paucis contenti Lexicon priori, reliqui illud, quod posteriori loco allegatum. Vbi per πρόληψιν notetur, quod regio, in qua fructus hic copiose reperitur, *confinis sit terrae sanctae*, id quod citata nos edocuere, & infra fusius probabitur.

Thesis II.

Dantur multa quoad rem quidem probe nota, atque in rerum natura iam dudum existentia, quamuis eorum nomina vel prorsus & semper, vel ad tempus saltem ignota, vel quoque ab iis fuerint diuersa, quae hodie illis imposita animaduertuntur.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Peculiare & plenius in creaturas dominium haud obscure innuens donum, singularisque intellectus facultas primi erat hominis, vi cuius omnibus omnino animalibus hunc in finem ad se a Deo adductis nomina sine dubio non pro lubitu & arbitraria, sed לְמִינָהּ *realia & naturalia*, h. e. cuiusuis animalis naturae apprime conuenientia imponere poterat. Ex quo non absque fundamento colligi potest, Adamum etiam respectu reliquarum creaturarum, e. g. mineralium, fructuum, plantarum & herbarum eandem cognitionis ἀκρίβειαν earumque indolem atque virtutem accurate cognitam & perspectam habuisse, ac proinde easdem nominetenus tenuisse. Quod si igitur verum, linguam hebraeam Protoplastorum fuisse vernaculam, vt est probabile, sequitur, pluri-

ma

ma linguae hebraeae vocabula esse *realia* multoque *significantiora* vocabulis reliquarum linguarum omnium. At enim vero amisso splendidissimo hominis ornamento, imagine scil. diuina, nec amplius haec cognitio existit, sed non, nisi multo labore multoque studio acquiritur. Quid? quod ex notatu digna illa confusione & inde exorta linguarum multitudine & hoc redundauerit, quod *multis* iisque saepe numero *diuersis* nominibus *eaedem* res fuerint indigitatae. Nec desunt res, quarum nomina, mutatis circumstantiis *mutata* videmus. Quae omnia ex vocibus *Synonimicis* clara redduntur, vt adeo exemplis supersedere queam.

Thesis III.

Dantur etiam, quorum vsus aliquamdiu plane nullus, postea vero varius fuit.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Quarundam rerum aliquamdiu prorsus nullum fuisse vsum dixi, loquor autem non de *actu primo*, siue de potentia, sed de actu *secundo*, siue de exercitio, i. e. sunt, quae diu aut nullo in pretio habita fuere, aut quibus dignum non constituere pretium homines. Quis e. g. Americanorum ante ducentorum, & quod excurrit, annorum spatium *aurum gemmasque* in tanto habuit aestimio, vti quidem hodie post aduentum in illas terras Hispanorum fieri deprehenditur? Par esto de multis aliis rebus iudicium. Quod ad alterum theseos membrum spectat, vsum nempe rerum successu temporis *varium* haud raro factum esse, patet id ex trito Canone: *Vnius rei plures esse possunt fines*, pluresque vsus. Nam summam summi Creatoris sapientiam vel exinde videmus, quod vni eidemque plerumque rei *plures vna virtutes* indiderit. Exempla vbique sunt obuia, vt iis adducendis opus non sit.

Thesis IV.

Nec tandem desunt, quae diuersimode vsurpata vsurpationem habuerunt ab ea, quam deinceps obtinuerunt, & cui hodie inseruiunt, longe diuersam.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Cum praecedenti haec thesis arcte cohaeret. Ibi enim dictum, quod vna eademque res *varia* gaudeat *qualitate*, hic vero asseritur, illam *varie* quoque *vsurpatam fuisse & vsurpari*. Cui asser-

to ſua facile veritas conſtabit, ſi modo *rerum inuentiones* paulo curatius perpendamus, conſulamusque, qui de earum *inuentoribus* memoriae aliquid prodiderunt. Quot quantaque experientia & vſus, vtpote optimus rerum magiſter, detexit atque edocuit, quod multis rebus *aliis* etiam, quam hactenus, modis vti queamus? Exemplis vt rem vel tribus illuſtrem, ſunt ea in promtu, & fere quotidie eorum numerus incrementa capit. Aqua & triticum olim ſeorſim in potum cibumque vſurpata hodie componuntur, compoſitaque primariam cereuiſiae cauſam abſoluunt. Omni tempore ligna habuere homines, an vero omni etiam tempore tam innumera propemodum inſtrumenta arte inde facta?

Theſis V.

Flagrans in terris Orientalibus aeſtus multos refrigerationis atque refectionis modos peperit hominesque edocuit.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. I. Aeſtum dictis in locis per magnum eſſe, probatione haud indiget, quoniam, quod ibi praedominatur, *climatis* conſideratio de eo nos dubitare nequaquam patitur. Quo enim maior regionis alicuius *ad Solem* eſt *appropinquatio* ſolisque ad illam inclinatio, eo dubio procul *vehementior* etiam ibi maximi huius luminis *aeſtus* percipitur. Quis autem eſt, qui neſciat, *terram* quoque *ſanctam a linea*, quam vocant, Solis non adeo longe diſtare, ac proinde huius ſe vim multo ibi magis quam alibi locorum exſerere?

§. II. Ad augendum porro illorum locorum calorem a Flacio merito & illud refertur, quod alicubi multae ſint *arenae* & praeſertim multa *ſaxa*, quae a ſole inflammata viciſſim de ſe feruorem effundant, multa *loca* valde *aprica*, vbi maior ſit Solis vis, *inaquoſa* item, & *rarae* in aeſtate *pluuiae*, vel potius *nullae*. Accreſcere quoque moleſtiam caloris ex eo dicit laudatus Author, quod in aſcendendo & deſcendendo *motus* ſit hominibus & iumentis *difficilior*. Denique addit, habere illa loca propriam quandam *calamitatem ventorum*, orientalium & meridionalium ſiccorum & omnia adurentium.

§. III. Quae omnia iamiam ſatis ſuperque teſtantur, maximam his in locis vtilitatem, aut etiam neceſſitatem iam olim fuiſſe *refrigerii*, hominesque proinde degentes ibi de eo quam ſolliciti-

citissimos. Proueniebat autem illud *ex vmbra, nube, ventorum respiratione, aquis, pluuiis, rore, tuguriis, rupibus & petris*, adnotante Flacio, cuius verba sequentia ab hoc loco non erunt aliena: *Ob aestum homines in locis his feruentibus multum sunt soliti habitare & dormire sub arboribus, ficubus, vitibus; & etiam tabernacula in locis amoenis ac salubribus tendere. Soliti quoque sunt non raro, tantum sais vestimentis noctu se tegere; eoque etiam superiorem vestitum plerumque longum habuerunt.*

Thesis VI.

Sunt, quorum accurata cognitio apud maiores quidem satis perspecta fuit, qua tamen nos caremus.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Ratio per se patet, & cum a priori tum a posteriori dari potest. Nam quo quis *maius annorum spatium* viuendo percurrit, de eo quoque *pluribus* rebus *notitiam* eoque accuratiorem sibi potest acquirere. Atqui dubium non est, quin homines praesertim in *populo Dei* fuerint vel maxime *longaeui*. Deinceps constat inter omnes, quod multa notatu dignissima a Maioribus ex nobilissimae artis typographicae defectu literis *aut* plane non consignata, *aut* eorum monumenta per iniurias temporum amissa fuerint, ac proinde rebus *deperditis* annumerari debeant. Sic scimus, Veteres peculiarem *cadauera contra putredinem diu defendendi* artem calluisse. Nec dubium est, quin iidem terrae cultores & rei pecuariae dediti speciatim sic dicti *multorum terrae fructuum* notitiam tenuerint, qua nos hodie destituimur.

Thesis VII.

Habentur in Pandectis diuinioribus δυσνόητα **non quoad integras tantum sententias, sed etiam quoad voces simplices.**

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Absit a me iterum iterumque longissime, vt Scripturas Sacras, quae sunt בַּר לְרַגְלִי vel minimae obscuritatis *obiectiuae*, h. e. per se talis ipsisque ἁγίοις Θεῷ ἀνθρώποις adscribendae, & per consequens a Spiritu S. sapientissimo eorum Doctore atque Ductore dependentis insimulem. Sermo mihi est de obscuritate *subiectiua* & inde proueniente multa Dei oracula intelligendi difficultate,

cultate, tanta proh dolor! vt intellectus noſtri coecitatem non ſatis deplorare queamus. Accedit, quod lingua hebraica, cuius idiomate biblia noſtra V. T. ſunt conſcripta, ſit *mortua*, i. e. ita comparata, vt nemo eam amplius pure loquatur. Quare non potuit non fieri, quin *multarum vocum ſignificatus* euaſerit *obſcurus*, praeſertim cum libri veteris foederis canonici non ſint *inſtar Lexici* omnibus modis abſoluti habendi, ex quibus omnes huius linguae voces harumque ſignificationes peti atque depromi poſſent.

Theſis VIII.

Non eſt cur aliquem pudeat, vel in vna duntaxat ſacrarum literarum voce enucleanda ingenii animique vires tentare.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Largiſſima eſt aurifodina Scriptura S. cuius intuitu τὸ ἐρευνᾶν Seruatoris noſtri non ſatis commendari aeque ac obſeruari poteſt. Quemadmodum vero *metallici* nulli parcunt labori, quin potius vel minimas particulas metalliferas ſcrutari ſedulo ſolent: Sic Scriptura S. vel me non dicente, in minimis (ſi qua minima inibi dicenda) apicibus, literis & vocibus ſummum meretur iureque poſtulat ſtudium. Quid? quod nemo, etiamſi doctiſſimus & literaturae imprimis hebraicae peritiſſimus vere aureum hunc theſaurum exhauſerit, vt adeo ſemper ſit, in quod alii inquirant, ſemperque particulae auri maneant reſiduae ab aliis *inueniendae*, vel ad minimum *quaerendae*.

Sectio II.
DE ESSENTIALIBVS THEMATIS,
vel DE IIS,
QVAE PROPIVS AD REM ACCEDVNT, EIVSQVE NATVRAM INGREDIVNTVR.

Theſis. I.

Triplex potiſſimum Vocis קלי reſpectus probe attendendus venit, niſi ſine aqua, quod aiunt, natare hoc in negotio velimus.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Hanc enim vocem hypotheſeos meae de potu Coffée *primarium* eſſe *fundamentum* lubens fateor, quippe qua adductus tractationi

ctationi praesenti me applicui. Αλογον vero & stolidum vti foret, si domum aedificaturus fundamentum negligeret & ponere nollet: sic finem praefixum nunquam consequerer, adeoque in cassum abiret mea opera stulte proinde suscepta, nisi ante omnia de fundamento essem sollicitus. *Triplici* autem, meo quidem iudicio, *consideratione* opus hic erit, ita nimirum, vt (1) *Vocis radix indicetur*, (2) *eius cognata euoluantur*, & (3) tandem *genuina illius significatio ostendatur*. Id quod tribus, Deo fauente, thesibus sequentibus absoluetur.

Thesis II.

(1) Igitur ante omnia, vti monitum, in prima vocis incunabula paulo curatius erit inquirendum probeque obseruandum, cuinam ea radici, cuique huius tempori suam debeat originem.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. I. Descendit τὸ קָלִי ex consensu Lexicographorum §. 2. citandorum a *radice* קָלָה quod est verbum Quiescentium tertia ה, & speciatim a *participio Paul*, primae Coniugationis praeterito. Nam cum ad ordinariam formam קָטוּל deberet esse קָלוּה, verba לה hoc habent proprium, vt eorum participium Paul ה, vltimam literam radicalem, mutet in cognatam י vt adeo loco קָלוּה emergat קָלוּי, docente Danzio in Comp. §. 48. Obs. I. p. 132. quoniam *literae vnius organi facile inter se alternant*, quales quidem sunt ה & י, quiescibiles scil. ib. p. 4. & 5. A קָלוּי igitur est קָלִי & quidem h. m. Iuxta formam LXVII. Cl. II. Nom. a fine per י auctorum Parad. Nom. laud. Auth. p. 50. sq. תַּחְתִּי deberet esse (pereunte י participiali) קָלִי, sed in Nominibus a לה vltima pereunte (_) primae radicalis producitur in (_). Sic tandem fit קָלִי vt בָּקִי, עָבִי &c. alias syllaba simplex haberet vocalem breuem, quod esset contra doctrinam morarum, ideoque syllabae simplicis vocalis breuis in analogam longam est eleuanda. De altera autem vocis scribendi ratione, iuxta quam א in fine additur, infra dicetur.

§. II. Inter Lexicographos, qui h. l. allegari merentur, eminent Iac. Gussetius in Comment. linguae ebr. Leighius in Crit. S.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn832060682/phys_0015 DFG

Ioh. Buxt. in Lex. & qui hos aetate facile praecedit, Santes Pagninus in Epit. Theſ. Ling. S. qui ad vnum omnes ſub voce קָלָה in eo conſpirant, ab hac ipſa radice deriuandum eſſe nomen קָלִי & קָלִיא *mediate*, *immediate* vero a קָלוּי. Nec reale inter eos diſcrimen datur in conſtituenda *radicis ſignificatione*. Sic enim, vt ὕστερον πρότερον faciam, Santes Pagninus l. c. habet: קָלָה torrere, aſſare, comburere Ier. XXIX. 22. Hieron. frixit. Et in Paul toſtum, vnde קָלִי. Buxt: קָלָה torrefecit, aſſauit, Partic. Paul: קָלוּי בָּאֵשׁ Leu. II. 14. vnde קָלִי, קָלִיא Leigh. ab hoc plane non recedit. Guſſet. קָלָה aſſare, torrefacere, קָלִי m. toſtum: & cum א. קָלִיא. Ex quibus ſufficienter pateſcit, in eo omnes conuenire, quod nomen קָלִי deſcendat a rad. קָלָה, quodque haec ſignificatione *torrefaciendi & combuſtioni proxima, itemque in puluerem torrendo redigendi* gaudeat.

Theſis III.

(2) Deinceps Vocis huius cognata minime ſunt negligenda, quin potius eorum ſignificationis accuratus reſpectus omnino eſt habendus.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. I. Sub *cognatorum* notione *ſynonyma* quoque complecti licebit, quippe quae licet non quoad radices ſint ὁμώψηφα, eorum tamen *ſingnificatui* conuenienter reſpondent. His enim non neglectis eo facilius & vltro genuina, quae in cenſum venit, vocis ſignificatio apparebit ſeque nobis offeret.

§. II. Diuido autem vocis *cognata* in *proxima* atque *remota*, & per illa quidem voces volo intellectas, quae *eundem* cum ea *ortum* agnoſcunt. Monendum tamen antea, quod verbum קָלָה ex ſententia Leighii iam iam in Kal idem ſignificet, quod קָלַל leuis fuit. Optime autem Scheraeus in Itinerario in Pſalt. p. 759. duas haſce ſignificationes coniungit, ita ſcribens: קָלָה *reddidit leue adurendo, vſtulauit, frixit, torruit, aſſauit. Hinc* κηλον, *ſiccum*, κηλόω *comburo*, κηλέος, *vrens*, *vſtiuus: item* κᾶλον, *lignum.* Quare non mirum, quod verbi Coniug. Niph. vertatur, leuis eſt redditus, exſiccatus eſt, & per Metaphoram vileſcere, vilem reddi vel haberi. Non vero poſſum ſubſcribere, quod pace tanti Viri dictum, verbis Leighii ſequentibus, quae n. II. l. c. habentur:

per

per metonymiam (puta קָלָה significat) *torruit, torrefecit, combussit, assauit, frixit, quod tosta, torrefacta & combusta fiant leuiora;* nisi velit intellectam Metonymiam causae efficientis pro effectu, non huius pro illa. Nam quod mihi quidem videtur, τὸ torrere & comburere *primaria* est radicis significatio, vt adeo detur *prioritas causae & effectus.* De participio Paul. th. II. §. 1. actum. Substantiuum voci קָלִי cognatum est קָלוֹן quod leuitatem importat. Cum vero ex Comp. Danz. §. 45. m. II. not. I. p. 122. notum sit, verba geminantia secundam interdum confundere formas cum quiescentibus secunda, vel tertia radicali, non incommode ad cognata vocis קָלִי proxima referri potest radix קָלַל leuari, leuem &c. esse vel haberi, de qua significatione scite iudicant Buxt. in Lex. & Scheraeus l. c. quod sit *quantitatis & qualitatis*, vel, quod locum habeat in quantitate & qualitate.

§. III. Ad *remota* Vocis nostrae *cognata* refero צָלָה & מְהֻבְהָב. Et quidem quod ad *prius*, notat id assauit, redditurque â LXX. 1. Sam. II. 15. ὀπτῆσαι torrere, vel, ad torrendum, assandum, ac proinde eiusdem fere cum קָלָה est significationis. Idem est dicendum de nominibus inde ortis צָלִי vnde צְלִי־אֵשׁ Ex XII. 8. ὀπτὰ πυρὶ, ossum, & צְלִיל tostum, torta, vt vulgo vocant, quod occurrit Iud. VII. 13. צְלוּל לֶחֶם (Secundum קרי צְלִיל) minus congrue redditum a LXX. μαγὶς ἄρτυ frustum panis, accuratius a B. Luthero, ein geröstet Brodt Vid. Buxt. l. c. *Posterius* nomen quod attinet, quoad literas quidem & significationem, quae hic attenditur, in Codice Sacro non occurrit, ponitur tamen, adnotante Buxtorffio in voce יְהַב in Targum Hierosol. pro hebraeo צְלִי Ex XII. 9. Hinc est, quod R. Salomon & Kimchi, qui in lib. Rad. tradit, etiam Arabicè sic sumi, l. c. זִבְחֵי הַבְהָבַי Hos. VIII. 13. sic exponunt: *sacrificii assatorum meorum.* Caeterum vocem hanc apud Talmudicos eodem modo vsurpari *de fructibus & frugibus*, quae ad ignem assentur, vt ad cibum tanto sint commodiora, scribit cit. Author, vbi vide sis l, c.

Thesis IV.

(3) Ex quibus tandem omnibus fixus statusque vocis significatus facili negotio colligi poterit.

ΕΚΘΕΣΙΣ

De quo quidem vel imprimis hoc in negotio sollicitos esse nos oportere res ipsa loquitur. *Genuina* igitur & propria *vocis* קָלִי *significatio* haec est: *Notat rem quamcunque igne ita tostam, ut leuissima & combustioni proxima exinde facta redactioni in puluerem vel farinam sit adaptata & accommodata.* Patet haec collectio ex duabus immediate antecedentibus thesibus, vt aiunt, ad oculum, quas tribus verbis repetere liceat. Nimirum si radix קָלָה & cognata eius *non nude rem aridam* factam, sed multo plus, scil. tostionem, assationem & *tantum non combustionem*, nec non inde exortam, si ita loqui fas est, *leui factionem* significat, sequitur, quod significatio vocis קָלִי in medium allata genuina sit, illique vere competat. Atqui prius verum esse probant th. cit. E. & verum erit posterius. Connexio namque in trita Grammaticorum regula fundatur: *Deriuata sequuntur naturam Primitiuorum.*

Thesis V.

In omnibus, vbi Viri θεόπνευστοι vocem קָלִי adhibuisse deprehenduntur, locis, adducta significatio locum habet.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. I. Probo hoc paucis in antecessum per *inductionem locorum*, in quibus exponendis cardo rerum vertitur, quaeque seorsim in distinctis thesibus paulo post accuratius tractabuntur. Sunt hi Leu. XXIII. 14. 1 Sam. XVII. 17. XXV. 18. 2 Sam. XVII. 28. Ruth. II. 14. Quod ad primum locum spectat, ex contextu planum est, id, quod τὸ קָלִי significat, separari non tantum a *liquidis* oblationibus, sed etiam ab *aridis* fructibus & frugibus *virentibus*, sub voce כַּרְמֶל comprehensis, nec non a frumentis in cibum iam iam praeparatis, quae vox לֶחֶם complecti videtur, Deo offerendis. Quid igitur restat, quam vt, collatis reliquis, statuamus, τὸ קָלִי notare *legumen* quoddam, nondum quidem vsui *complete* accommodatum, *tostum* tamen, vt *comminui & farinae instar* vsurpari queat. Idem fere de reliquis locis dicendum.

§. II. Confirmo meam sententiam, vel, si mavis, hypothesin, per *versiones* probatorum Authorum, qui, licet alioquin mirum in modum dissentiant, in eo tamen amice conspirant, quod

per

per τὸ קָלִי tostum quid, quicquid etiam sit, intelligi debeat. Audiamus ex multis aliquos, & videbimus. LXX. Int. distincta male contrahunt, reddentes קָלִיוְכַרְמֶל ita: *πεφρυγμένα χίδρα νέα tostas spicas nouas*, non attendentes קָלִי esse substantiuum & per copulam ו vocis sequentis ab hac distingui. Interim tamen eatenus mecum consentiunt, quatenus in vertenda hac voce verbo φρύγω, torreo, torrefacio, vtuntur. Melius B. Lutherus vocem exponit per Sangen. Quamuis enim libenter confitear, me non intelligere, quid sibi Sangen h. l. velint, vbi de re sermo est a frumentis diuersa, habeo tamen quod volo, nempe τὸ קָלִי significare rum tostam (virentes namque spicas כַּרְמֶל dictas per Korn exponit.) Castellio reddidit per *tostas fruges* & a pane polentaque distinguit. Martin in versione Bibl. gallica vertit *grain roti* & contradistinguit *au grain en épi*, quo haud obscure innuit, קָלִי esse rem ad vsum iam iam quodammodo praeparatam. Stephani vetus & noua habet *polentam*, quae τὸ torreri necessario requirit. Clericus in Pentateucho LXX. Int. sequitur. Reliquorum locorum versionibus vocis nostrae adducendis supersedere potero, conuenientibus quippe propemodum cum modo adductis. Ἐπίκρισις vero & vlterior explicatio addetur in th. sqq. H. l. sufficit probasse & confirmasse, קָלִי indigitare *tostum quid inter legumina referendum.*

Thesis VI.

Cum vero loci citati vtramque hac quidem in re paginam faciant, tantum abest, vt penitior eorum inspectio abs re sit, vt potius ea summe necessaria iure meritoque optumo censeatur.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Authores enim, duces suasoresque loci mihi fuere, vt hypothesin de *vestigiis potus Coffée in Scripturis S. probabiliter reperiundis* defendendam (faxit summum Numen feliciter!) susciperem. Iam vero πρῶτον ζήτημα, de quo sub iudice lis est, omnium minime negligi debet. Quare mearum omnino partium est, vt omnem moueam lapidem, quo locis allegatis lucem aliquam accendam, & hypothesin meam, quantum quidem salua veritate sanaque ἑρμηνείᾳ fieri poterit, stabiliam. Ignoscat vero B. L. vbi

quidem rem acu non tetigero, reſpiciens voluntatem. Videamus igitur, quid *certi* hoc in negotio proferri queat.

Theſis VII.

Ex loco, qui Leu. XXIII. 14. habetur, ad minimum id luce ſua radiat, quod קָלִי denotet toſtum quid, idque a pane ordinario diuerſum.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Praecipitur קָרְבָּן oblatio ad exhibendam debitae erga Deum gratitudinis & obedientiae teſſeram, quod ſeptimanas ſtatas, vt loquitur Ier. C. V. 24. meſſis cuſtodiuerit. Quod praeceptum populo ſuo tam arcte iniungit, vt ei comedendis terrae frugibus nouis ante oblationis diem ſerio interdixerit. In interdictione hac ſpeciatim mentionem facit לֶחֶם וְקָלִי וְכַרְמֶל ſummus Legislator. Quaeritur, an & quomodo haec tria a ſe inuicem diſtinguantur? Et hic non poſſum, quin a Guſſetio abeam, qui haec tria tantum *apparatu* differre ait. Concedo quidem, קָלִי habere *relationem ad meſſem* (generatim ita dictam) ſed *non eandem*, vt ille exiſtimat, ac panis & ſpica virens. *Reale* enim *diſcrimen* inter haec omnino intercedere, probo ſequentibus: 1) quia ſeorſim nominantur, 2) quia קָלִי ſubſtantiuum eſt, nec eſt, cur adiectiui vicem hic ſuſtinere dicatur, cum hoc non fiat in reliquis locis, 3) quia dari non poteſt ratio ſufficiens, cur ſpicae torrefaciendae fuerint. Aut enim id factum eſſet, vt grana nuda comederentur, ſed qualis quaeſo eſca haec? aut ad molendum & inde conficiendum panem, ſed id iam iam per לֶחֶם prohibitum. Quid ergo reſtat, niſi hoc, eſſe קָלִי rem *a panis cauſa materiali diuerſam?* Clericus quidem in Pentateucho putat, קָלִי proprie eſſe *hordeum toſtum* confertque Cap. II. 14. additque, hoc (quod hordeum ſit toſtum) videre factum, cum vt facilius excuterentur acera & gluma, tum etiam, vt ei ſapor conciliaretur; at enim vero ex dictis patet, hoc minus eſſe probabile. Idem eſt ſentiendum de Stephani explicatione, vbi dicit, magni nominis apud hebraeos virum (intelligit R. Salomonem) dicere, קָלִי farinam eſſe factam e ſpicis plenis aut teneris ac virentibus, quam ſiccent in furno. Quamuis autem in loco noſtro expreſſe non legatur, קָלִי eſſe *oblatum*, factum

factum tamen probabilie fit ex eo, quia & hoc & reliquae fruges per oblationem erant sanctificandae.

Thesis VIII.

In loco, qui legitur 1 Sam. XVII. 17. aliqua vocis nostrae in scribendo a reliquis discrepantia inuenitur, quae tamen non obstat, quo minus hic aeque ac in Cap. XXV. 18. & Ruth. II. 14. pro certo aestimetur, denotare eam rem tostam, quae cum pane haudquaquam coincidat.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Vt pauca de *diuersa vocem scribendi ratione* per א in fine additum moneam, debet haec litera originem *vel* extrusae literae radicali ה in א ob §. 3. Comp. Danz. facile permutandae, *vel*, quod probabilius, figurae, quam Paragogen vocant, quae vocem litera aliqua in fine adiecta producit, iuxta §. 54 etiam litera א potissimum post ו verborum. Pergam nunc in proposito dicamque, quid mihi *certum* hoc in loco vocari posse videatur. Nempe hoc, quod in thesi in dictum, denotari ibi per קָלִי *rem tostam, quae cum pane haud quaquam coincidat.* Id quod συνάφεια textus facile dat comprobatum. Nam vox, quae immediate sequitur, est לֶחֶם; qui igitur vnum idemque, vel apparatu tantum distinctum, duabus vocibus indicetur? Accedit, quod spicae non ineant *mensuram*, quae hic vocatur *Epha*, continetque secundum Crellium in Concord. Reali voce Epha tria sata vel decem Gemor. Ex quo sponte sequitur, fuisse קָלִי *non frumentum* siue panis materiam, sed *alium quendam fructum studio tostum.* Quod etiam innuere videtur ה *emphaticum* ad distinctionem a pane adhibitum. Confirmat meam sententiam Clericus in Comment. ad h. l. *Epha*, inquiens, *continebat ex calculo Eduardi Bernardi circiter libras 50. hordei, ex eo pondere, qui dicitur avoir du poids, in Anglia, pauciores tosti, quia tostum leuius est. Hinc polentam*, addit, *conficiebant.* De qua quidem opinione Sect. I. Cap. II. agetur, perinde vt de Stephani versione & explicatione, qua קָלִי pro polenta & farina spicarum tostarum habetur, cum quo consentit Osiander, qui in Not. Bibl. inquit:

inquit: dieſe Epha Sangen, d. i. nehmlich Mehl, ſo aus neuen Korn, welches man am Feuer gedörret, gemahlen worden.

§. II. Quod de loco, quem nunc conſiderauimus, dici debuit, idem & de duobus reliquis in theſi allegatis erit ſentiendum, nempe קָלִי eſſe fructum toſtum, qui cum pane nihil habeat commune. Et quod quidem ad 1 Sam. XXV. 18. attinet, in aprico eſt poſitum, Abigailam *praeter panem* τὸ קָלִי attuliſſe. Notatu quoque dignum eſt, quod haec vox cum *vuis paſſis & ficubus* coniungatur, ac proinde inter *fructus arborum* referatur, quod euidenti eſt indicio, vocem קָלִי *non ſumi adiectiue*, quod putat Clericus ad hunc locum, vertens eam per *hordeum toſtum*. Licet autem ex loco Ruth. II. 14. idem euinci nequeat, inficias tamen iri nequit, per קָלִי non poſſe intelligi panem, cum, hunc toſtum vſurpatum fuiſſe, nullibi locorum reperiatur, indicari tamen aliquid, quo praeſertim *tempore meſſis* vtendi *ad refrigerandum* mos tulit. Clericus concedit, ex קָלִי factam eſſe *polentam* aut *pultem*, miraturque vnde LXX. ſumſerint vocem ἔβϛισε, aliis graecis ſcriptoribus ignotam, quae forte fuerit Alexandrina & ſignificauerit ſtruere εἰς βϛνον ſeu in cumulum, vt quando magna copia cibi in cumulum ſtructa cuipiam adponatur. Se tamen vix credere, huic loco conuenire hunc ſignificatum, quia ſermo ſit de polenta ſiue cibo liquido, qui in cumulum non coaceruetur; ἄλφιτον enim ſiue farinam ſiccam non comedi. Ex eodem capite mirum omnino eſt, & Veterem & Nouam Stephani vertiſſe: & congeſſit polentam ſibi, & porrexit ei polentam, cum tamen explicatio habeat, קָלִי eſſe genus farinae ita dictae a torrendo, quod Chaldaeus paraphr. reddiderit farinam toſtam. Carpzouius, qui in Colleg. Rabb. Bibl. in lib. Ruth. multas multorum verſiones & opiniones de hac voce congeſſit, tandem dicit, קָלִי fuiſſe, *cibum*, *ex hordeo confectum*, verum cuius exactum conficiendi modum ignoremus, vnde certo adſerere nequeamus, num ptiſanae fuerint, vt vt ſpeciem aliquam habeat probabilitatis &c. Quicquid autem ſit, theſis ſatis ſuperque probata eſt ac confirmata.

Theſis

Thesis IX.

Princeps, qui huc spectant, locorum facile constituitur locus, qui legitur 2 Sam. XVII. 28.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

In eo enim *bis* haec vox occurrit, adeoque extra controuersiae aleam positum est, *res* ibi per eam denotari, licet *non re ipsa, apparatu* tamen *distinctas*. Nam opus esse mihi quidem non videtur, vt statuatur, fructum *duplicis generis* per קָלִי esse intelligendum, licet prima vice cum קֶמַח farina coniungatur, secunda vero inter legumina referatur. Nec aliquid impedire video, quo minus posterius קָלִי *pro fructu ipso vel tosto vel torrendo*, prius vero pro farina inde confecta habeatur. Vt adeo illud principii, hoc vero principiati vices sustineat. Vide tamen Th. XII. C. II. Sect. I.

Thesis X.

Ex hoc tamen loco hac quidem vice pro scopo hoc in capite praefixo nihil aliud euincere volo, quam (1) quod per τὸ קָלִי neutiquam aliquid indicetur, panis adinstar adhibitum.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Nam textus hic non iis modo, qui rem per vocem hanc indigitatam loco *panis* fuisse hominibus, sed illis quoque, qui eam pro *hordeo tosto*, itemque pro *pro farina ad pinsendum* destinata, nec non pro *polenta* habent, aperte aduersatur. Probant meam sententiam & pro ea militant argumenta quae sequuntur. (1) Panis causam materialem sub vocibus חִטִּים וּשְׂעֹרִים comprehendi animaduertimus, cum haec hordea, illa tritica notet. (2) Haec duo frumenti genera per regem minorem a farina & קָלִי accurate distinguuntur. (3) Non suppetit ratio, cur vna eademque res, nempe panis, vel quatuor vocibus indicetur, cum abunde sufficiant duae priores. (4) Farinam ad pinsendum, vel etiam ad pultem accommodatam vox קֶמַח commode exprimit, vti fit Gen. XVIII. 6. Es. XLVII. 2. (5) Nec hoc in loco opus esse duco, vt substantiuum pro adiectiuo positum existimetur, cum huic opinioni copula ו perpetuo contrarietur. Quare non facio cum Clerico, qui vo-

cem

cem noſtram vbique adiectiue ſumit. Nam priori vice incongrue hordeum ſupplet, quod vocat toſtum, poſteriori vero vocem noſtram cum lentibus coniungit, hasque toſtas nominat, & a crudis diſtinguit. Nec ratio eius me mouet, quam ſequens ad voces: crudas & toſtas, Obſeruatio habet: ſuppleuimus, inquit, crudas כַּרְמֶל vt Leu. XXIII. 14. quia ſequitur וְקָלִי quod non poteſt hic Subſtantiui loco haberi, quia antea iam memoratum τὸ קָלִי Subſtantiui nominis loco. Sed petit id quod eſt in principio. Male autem LXX. vocem hanc omiſerunt ſemel, nec tamen eam ob cauſam pro ſuperflua haberi poteſt. Putat quidem Carpz. l. c. hos Interpretes prius קָלִי ἄλευρα, poſterius autem ἄλφιτα reddidiſſe. At, quod pace tanti Viri dixerim, per ἄλευρον vertunt קָמַח per ἄλφιτον vero prius קָלִי clauduntque v. 28. cum voce φακός, qua reddunt עֲדָשִׁים Edit. Reinecc. Lipſ. 1730. Stephani Vetus prius קָלִי per polentam, poſterius per frixum cicer exponit, Noua vero vtrobique polentam retinet, & annotatio quidem per priorem polentam triticeam, per poſteriorem leguminariam intelligit, aſt triticum & farina antecedunt, nec poteſt probari, quod poſterius קָלִי ex claſſe integrorum leguminum debeat excipi.

Theſis IX.

(2) Quod res per vocem hanc indicata, quae demum ea cunque ſit, inter legumina ſit referenda.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Hoc enim ex textu tam certum eſt, quam quod certiſſimum, vti nos vel ocularis inſpectio abunde docet. Praecedunt in poſteriori hac verſus parte פּוֹל וַעֲדָשִׁים in quibus exponendis maximam qua partem conueniunt Interpretes, reddentes hoc *lentes*, illud *fabas*, Singulari ibi poſito pro numero plurali. At magnum inter eos diſcrimen ratione vocis noſtrae deprehendere licet, vti Th. V. §. 2. indicatum. Probo autem theſin ſequentibus: (1) Praecedentes legum entorum voces τὸ קָלִי clare ſibi vindicant. (2) Accentus (ֽ) qui eſt in voce noſtra priori, diſtinguit ab hac poſteriorem, oſtenditque hanc ad lentes & fabas, non vltra extendi debere. (3) Copula ו & natura vocis קָלִי grammatica dirimunt eam

eam a *praecedentibus* leguminum generibus, teſtantur tamen, illam ad *legumina* pertinere, & *peculiare eorum genus* conſtituere. Non plane mihi aduerſantur plerique Interpretes. Sic enim praeter Authores alleg. Munſterus in Verſione poſterius קָלִי vertit toſtas leguminum ſpicas, atque in Gloſſa addit, duplices attuliſſe toſtas ſqicus, quasdam fuiſſe ex tritico, & alias ex leguminibus. Huic conſentit Vatablus in Scholiis. Imprimis notari merentur verba R. Salomonis Iarchi & Aben-Eſrae fol. 349. fac. 2. qui duas dicunt adlatas ad Dauidem ſpecies edulii ex frugibus in fornace exſiccatis, vel ex farina lentium facti, mixti cum ſale, alteram quae ex tritico, alteram quae ex lentibus ſit facta. Quibus fere conſentanea eſt ſententia Rabbenu Ieſchaiae, qua duas ſtatuit fuiſſe ſpecies τῶ קָלִי, alteram frumenti, alteram leguminum, quam ſententiam facit ſuam, qui haec adducit, Carpz. l. c. Quae omnia licet hypotheſi de fabis, ex quibus potus Coffée conficitur per τὸ קָלִי intelligendis non prorſus ſint conformia, eatenus tamen ad eam accedunt, quatenus teſtantur, rem per vocem hanc indicatam *ad legumenta* pertinere & *legumen* eſſe a caeteris leguminibus *diuerſum*.

Theſis XII.

Populi, cuius in graciam omnia, quae in duobus Cap. cit. verſiculis recenſentur, attuliſſe Barſillai dicitur, non fames ſolum, ſed ſitis quoque, & quidem praeprimis erat ſedanda.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Siue enim *iter* valde moleſtum & multa ob inſtans periculum cum celeritate factum, ſiue id, quod expreſſe legitur, dixiſſe Viros, qui apparatum hunc & neceſſaria attuliſſe dicuntur, populum, quem ſcil. Dauid ſecum habebat, fore *famelicum* & *laſſum* (Graeci vocant ἐκλελυμένον ſolutum, verſchmacht) וְצָמֵא & *ſitibundum* in deſerto, conſideremus, negare non poſſumus, neceſſitatem haud minorem adfuiſſe ſitim quam famem depellendi. Aeſtum enim, de fatigationem & fluctuationem haeſitationemque, in qua Dauidis & populi animus tum verſabatur, *ſitim magnam* excitare, vel lippis & tonſoribus notum eſt. Cum igitur prius de Dauide & populo dici debeat, conſequitur, quod & poſterius, nempe ſi-

tis in eos cadat, adeoque & haec praeprimis ſedanda fuerit, quia ſitis fame intolerabilior cenſetur.

CAPVT II.
DE EO QVOD HOC IN NEGOTIO SVO PROBABILITATIS GRADV HAVD DESTITVITVR.

SECTIO I.
POSITIVA.

Theſis. I.

Nihil obſtat, quo minus cauſa potus Coffée materialis, vti vocant, iam iam inde a multis temporibus nota atque vulgata credatur.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Monui iamiam Th. I. §. 2. Cap. I. Sect. I. probe notandum eſſe, quod regio, in qua fructus hic potiſſimum habetur, *terrae Canaan ſit vicina*. Eſt enim ea Arabia, vti non tantum ex ſupra dictis conſtat, ſed etiam in Lexico Vniuerſ. P. III. p. 534. ſub tit. Bon fuſius probatum, vbi quae ad potum hunc pertinent, in compendio fere abſoluta inuenies. Quotus autem quisque neſcit, *Arabiam & Soriam eſſe regiones finitimas*, quandoquidem illius, quod ad plagam Septentrionalem ſpectat, & huius fines coniunguntur, teſte Hubnero in Fragen aus der Geographie p. 819. Atqui ad Soriam regionem hodie Turcarum imperio ſubditam, praeter Aleppum & Tripolin pertinet quoque praefectura a *Damaſco* cognominata, in qua ſita eſt *Hieroſolyma*, metropolis regni Iudae, nec non *Samaria*, ſedes Regum olim reliquarum tribuum Iſraelicarum, vti patet ex lib. cit. p. 809. ſqq. Studio autem ab initio huius ἐνθέσεως dixi, fructum, de quo hic ſermo, *potiſſimum* in Arabia inueniri. Nam determinatio haec & reſtrictio docet, aſſertum *non excluſiue* capiendum eſſe, vt reliquae regiones a productione fructus huius eſſent excludendae. *Alias* namque *terras* illius eſſe feraces & ad producendum illum aptas creatas, ex Lex. paulo ante cit. probatur, vbi ita fere legitur: Hernach (ſcil. praeter Arabiam) wird es (das Coffée Gewächſe) gebauet in Iaua in Oſt-Indien, daher die Bohnen Oſt-Indiſche zum Unterſchied jener, die Levantiſche heiſſen, genennet

genennet werden. Weiter findet man diese Frucht in Ceylon und Mocca ꝛc. Die Javanische sind grosse weißgelbe Bohnen und machen die schlechteste Art aus, die Ceylonische sind klein gelblich, die Moccische klein grünlicht, welche vor die besten gehalten werden. An welchem Unterschied nicht das Clima sondern die Wartung und Einpackung schuld seyn soll. Cum igitur non tantum aliis in locis & terris fructus noster nascatur, sed terra quoque sancta finitima sit illi regioni, in qua is potissimum habetur, nihil video obstare, quo minus statuatur, fructum hunc in *Asiaticis terris*, & praesertim in finitimis, *multo ante*, quam in in Europa innotuit, notum atque vsurpatum fuisse. Accedit, quod nonnulli putant, fructum nostrum ex *Aethiopia* non adeo procul ab *Aegypto*, vbi populus Dei diu commoratus fuit, in Arabiam venisse. Vt adeo nullius sit moment: *Arabum superba persuasio* quam Lex. cit. ita proponit: Von dem Coffée-Gewächse glauben die Araber, daß es in der Welt nirgends als in ihrem Lande oder dem glückseeligen Arabien wachse. Quid? quod Iac. Ponertus in Itiner. Aeth. An. 1698. 99. 1700. & Author des curieusen Tract. vom The, Coffée und Chocolata testentur, fructum hunc & olim & hodienum in *Aegypto* & *Aethiopia* reperiundum?

Thesis II.

Nec est cur dubitemus, causam quoque formalem potus nostri iam diu & apud veteres olim aeque ac apud nos hodie, locum habuisse.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Nomine *causae formalis* id mihi venit, quo *in esse suo potus hic constituitur*, estque nihil aliud, quam *debita praeparatio*, qua ad bibendum causa materialis sistitur & potus fit id quod est. Tantum autem non omnes sciunt, consuetudinem bibendi potum hunc apud Europaeos *nulla* gaudere *antiquitate*, nec multos eam annos posse numerare. Atqui causam eius *materialem* iam dudum fuisse notam in antecedentibus probaui, nec certo nititur fundamento *relatio*, sacerdotem quendam non adeo ante multos annos potu hoc vti incepisse eiusque virtutes detexisse, commotus ad id adductusque querela pastoris referentis, oues per totam noctem in ouili subsiliisse, postquam fructus huius folia pa-

buli instar habuissent, vtpote de cuius historiae vel fabulae potius, veritate merito dubitat Lex. Vniu. l. c. Deinceps neminem fugit, multarum rerum vsurpationem *non in se*, licet *nobis* nouam esse. Quid ergo impediat, quo minus probabile aestimetur, fructum & potum Coffée apud Veteres, & sic quoque apud *Iudaeos*, notum fuisse, ego quidem non video.

Thesis III.

Causa denique finalis potus, qui heic sub examen vocatur, existentiam eius diuturnam & apud veteres etiam Iudaeos florentem vsum ad magnum probabilitatis gradum perducit.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Cap. I. Sect. I. §. I. Th. I. primarium potus nostri vsum *refrigerationem* constitui, idque verbis Hubneri ex Lex. Nat. cit. ad liquidum perduxi. Idem praeter Lex. Vniu. testatur Laurent. Strauss. in disp. de virtut. Coffée annexa Scroederi Pharmacopaeiae. Gentes vero Asiaticas, & imprimis Iudaeos, & multa refrigeratione opus habuisse, & multis ad eam acquirendam mediis vsos fuisse, Th. V. C. I. S. I. probatum dedi. Porro, quod non ignotus fuerit Veteribus tam quoad materiam, quam quoad formam fructus, theses praecedentes probabile reddiderunt. *Obiectioni* tandem, diu nos caruisse cognitione potus huius, & nescire, an veteres ea fuerint gauisi vnquam, occurrit Th. VI. C. I. S. I.

Thesis IV.

Quibus ita constitutis inficias iri nequit, probabile omnino esse, quod materia potus, huius vsi fuerint veteres, & imprimis Iudaei.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Nulla thesis probatione indiget, ac proinde illi supersedere me posse reor. Est enim nihil aliud, quam *conclusio* ex illis, quae theses huius capitis antecedentes continent, modo legitimo deducta, id quod ex sequenti syllogismo cuiuis patebit: Quicunque alicuius rei causam *materialem*, *formalem* & *finalem*, hanc quidem *certe*, illas vero *probabiliter* habuerunt, illi *rem ipsam* & habuisse & vsurpasse probabile est. Atqui veteres imprimis *Iudaei* &c. E. &c. Maior propositio per se stat in propatulo, sub-

sub-

subsumtio vero ex Th. Th. antec. procedit, conclusio itaque sole meridiano est clarior. Caeterum mea nihil heic refert, an Iudaei fructum hunc *tantum potus*, nec insimul *cibi* instar vsurpauerint, vti Th. VIII. pluribus dicetur. Sufficit pro instituto probabile reddidisse, eos *fructus huius & potus ex eo conficiendi notitia* haud quaquam fuisse destitutos.

Thesis V.

Probabile haud videtur, veteres quoque Iudaeos mera aqua contentos fuisse & ab aliis potuum generibus, iisque potissimum, qui magna prae reliquis virtute refrigerandi gaudent, vel sponte abstinuisse vel illis plane caruisse.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Negandum quidem non est, veteres vti in cibis sic quoque in potibus *simplicitatem* admodum amasse, ac proinde simplicibus cibis & potibus, tanquam omnium saluberrimis maximopere studuisse. At enim vero obstatne hoc, quo minus probabile habeatur, quod iidem successu temporis paulatimque ab hac, optima licet consuetudine, declinauerint atque potibus perinde ac cibis *compositis* vti inceperint? Quotus enim quisque nescit, quod Noa iam iam vineam conseuerit. & quod per consequens inde ab huius tempore *vinum* innotescere coeperit? Argumentor igitur *a minori ad maius*: Si Iudaei vino, potu tantopere incalfaciente, vt aqua mixtum & sic temperatum legatur, vsi fuere, probabile est, illos imprimis *potibus refrigerantibus* studuisse. Vt taceam, quod Scriptura S. certi cuiusdam potus שֵׁכָר dicti, ab inebriando, *vel* quod sit vinum vetus fortissimum, *vel* quod omnes species potuum ad ebrietatem facientium sub se complectatur, *vel* quod bibatur, vt potus vi inebriendi gaudentes, licet ex fructibus praeparetur, & *aut* non inebriet, *aut* ebrietati omnino contrarietur, mentionem iniiciat Leu. X. 9. Num. VI. 3. c. XXVIII. 7. Vt etiam silentio fere praeteream, quod Hildebrandus in Antiquit. Bibl. p. 126. scribat, Iudaeos habuisse *duo genera potuum;* potum nimirum *simplicem*, qui hinc ex vino & aqua, hinc ex pomis aut piris &c. praeparatus fuerit, & potum *compositum*, cuius alterum genus vocetur οἰνομέλι, alterum ὑδρομέλι.

μέλι. Nam *aestus solis* terrarum Orientalium, & quod inde ortum traxit, *studium refectionis* modos inueniendi, ex th. V. C. I. S. I. liquet. Deinceps Th. I. huius tractationis dictum, quod potus Coffée *refrigerandi* virtute gaudeat. Collatis itaque reliquis hanc in rem dictis partim, partim dicendis, negari meo quidem iudicio nequit, potum hunc Iudaeis quoque notum olim iam iam fuisse, esse probabile.

Thesis VI.

Significatus vocis קָלִי supra indicatus in potum nostrum quam optime quadrat. Ac proinde sub ea rem, tantum sine nomine, quod hodie habet, contineri, probabile redditur.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Habetur is, ad quem prouoco significatus Th. IV. S. II. C. I. quam si cui conferre lubet, prius theseos membrum in oculos statim incuret. Notat enim τὸ קָלִי rem non quamcunque aridam, sed *igne studio tostam* atque ad *comminuendum* aptam praeparatam. Quis vero nescit, fabas, vel si mauis, grana ex quibus potus noster conficitur, eum in finem torrefieri, vt comminui & in farinam commode conuerti queant? Annon igitur iure dici potest, quod vox קָלִי, vel, vt accuratius loquar, res per eam denotata & fructus Coffée *vnum eundemque* habeant *significatum*, nimirum quod ad vtriusque *praeperationem* attinet? Caeteroquin posterius theseos membrum arbitrio cuiuslibet relinquo, velitne illud assumere, an minus. Meum tamen erit, paucis id comprobare. Dixi nempe Th. II. C. I. S. I. multa dari, quorum nomina mutata reperiantur, quaeque olim *clarius* fuerint denominata. Fortassis idem de potu Coffée dicendum erit, quoniam in voce קָלִי non obscurum eius vestigium habetur, quod ostendere & allaboraui & allaborabo.

Thesis VII.

Cum radix קָלָה torrefactionem studio & ignis ope susceptam innuat, exinde fit probabile, per τὸ קָלִי intelligendum esse aliquid eum in finem tostum, vt postea in farinam conuertatur, eamque a panis farina diuersam.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682/phys_0030
DFG

ΕΚΘΕΣΙΣ.

De genuina harum vocum notione in superioribus egi; egi etiam de actu rei, quae hac in thesi asseritur, *primo*, & quod possit fructus קָלִי comminui. Actum autem *secundum*, vel, quod ratio, cur fructus hic fuerit tostus, in *commutatione* eius in *farinam* reperiunda sit, tractat & probabilem asserit thesis praesens. Nimirum omnes actiones de iure propter certum quendam finem aut distincte aut confuse notum suscipiuntur, & stultus est, qui aliquid absque fine agit. Finem igitur, cur fructum per τὸ קָלִי indicatum torrefecerint Iudaei ad fuisse certum est. Quisnam vero? respondeo, is procul dubio, qui τῷ torreri est conuenientissimus, quem puto conuersionem in farinam & comminutionem. Forsan mihi obiicietur, *alios* posse *fines* indicari, nempe tostum fuisse fructum hunc, vt eo melius ab appludis potuerit separari, item vt illi sapor conciliatus fuerit, vt moli citius vel ad alios vsus adhiberi potuerit. Verum enim vero vt silentio inuoluam, praesupponi hic plerumque, fructum hunc in appludis adhuc existentem tostum fuisse, quod tamen probari nequit, *duo* tantum *momenta* vrgeo attendenda, vnum est, quod probabile non sit, grana tritici vel hordei tosta cibi loco fuisse adhibita, de quo tamen Th. IX. fusius, alterum, quod radix קָלָה multo plus inuoluat, quam ad frumenta allegata molenda fuit necessarium. Differunt enim יָבֵשׁ & נָגֵב a קָלָה vt *minus a maiori*, vti patet ex inductione locorum Ios. II. 10. Ien. XII. 9. Ier. XXIX. 22. Vt adeo appareat, fructum קָלִי non eum in finem fuisse tostum, vt ex farina inde confecta panis pinsari potuerit. Cum igitur tantum fructus Coffée sic torreatur, vt קָלִי mereatur dici, quid probabilius est, collatis reliquis circumstantiis, quam quod ille per hanc vocem sit intelligendus?

Thesis VIII.

Ambabus concedo manibus, quod τὸ קָלִי inter edulia quoque sit referendum, at euinci nequit, quod res per id significata vnice & tantum ad cibos pertineat.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

In iis enim, vbi vox occurrit, quosque superius consideraui, locis, & praesertim 2 Sam. XVII. 28. priori vice *cibum* eam denotare

tare posse, vel rectius, rem ex qua cibus confici potuerit, absit vt negem, licet expresse non legatur, cuinam fuerit vsui destinata. Nec est, cur hoc pluribus persequar, quoniam de eo nemo facile dubitabit & scrupulum mihi mouebit. Exinde vero iam iam patet, euinci non posse, rem hanc *non*, *nisi pro cibo* capiendam, nec inter *potulenta* referri debere. Posito tamen, sed neutiquam concesso, quod dictis in locis τὸ קְלִי *cibum* indicet, rem tamen ipsam aut alias aut plane nunquam *potus* inde conficiendi *materiam* fuisse dici nequit. Imo ponamus, Iudaeos *aut* plane non, *aut* ad tempus potum ex קְלִי non confeciisse, tamen ne sic quidem negari potest, quod huic vsui *vnquam* inservierit. Nam vnius rei plures diuersosque esse vsus, Th. III. & IV. C. I. S. I. probaui. Accedit, quod in citatis locis, vno excepto, dum alimenta recensentur, nulla *alius cuiusdam potus* mentio iniiciatur. Cur igitur per τὸ קְלִי potus materia nequeat intelligi, ego quidem non video.

Thesis IX.

Vix ac ne vix quidem mihi, persuasum habere possum, quod cruda grana hordei & tritici, siue torrida, siue non, cibi loco vnquam in vsu ferint.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Sermo mihi est de eo, quod *ordinarie* & *extra necessitatis casum* fieri deprehenditur, quippe qui nullam habet legem, nec consuetudinem parit. Thesin sic explicatam sequenti syllogismo probo: Quicunque rei alicuius vsus (α) sanitati obest, (β) nulla vrgetur necessitate, (γ) fini suo non commode respondet, ille probabilis non est; Atqui de crudorum granorum vsu subsumo, E. concludo. *Maiori* per se clarae nihil addam, *Minorem* vero ita vindico: (α) Experientia testatur, cruda grana sanitati nocere; ratio est in promtu, difficillime enim a stomacho hominis possunt concoqui. (β) Grana ordinario modo moli & ex eorum farina panis confici potest. (γ) Quot quaeso grana ad satietatem forent comedenda? *Discipulorum Seruatoris*, qui spicas fricuisse in Sabbatho leguntur Matth. XII. 1. Luc. VI. 1. *exemplum* in contrarium allegari nequit, quippe in casu necessitatis constitutorum, nec grana torrida comedentium. Eorum igitur

tur factum nullam in consuetudinem trahi debet. Ex quibus colligo, per τὸ קָלִי non grana tritici vel hordei, sed rem eum in finem tostam, vt moli potuerit, intelligi debere. Quod quia *cum fructu Coffée*, nec cum aliis fructibus & fabis fieri soleat, farinaque ex qua panis pinsitur, seorsim nominetur, probabile est, τὸ קָלִי esse illum ipsum fructum, ex quo Coffée constat, & farinam inde confectam.

Thesis X.

Cum Lev. II. 14. גֶּרֶשׁ כַּרְמֶל & C. XXIII. 14. sola vox כַּרְמֶל omnes spicas virentes, tanquam materiam τῶ לֶחֶם praecedentes, haec vero vox omnia esculenta ambitu suo complectatur, fundamento suo non caret hypothesis, qua statuitur, quod per אָבִיב קָלוּי בָּאֵשׁ in priori, & per קָלִי in posteriori loco aliquid intelligatur alii etiam quam cibi vsui destinatum.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. I. Vox כַּרְמֶל *vel* est nomen proprium oppidi & montis fertilissimi Ios. XV. 55. 1 Reg. XVIII. 19. *vel* est nomen appellatiuum significans in genere locum fructibus & frugibus refertum, Ies. XXIII. 15. in specie vero spicam virentem, vt praeter locos in Th. cit. 2 Reg. IV. 42. C. XIX. 23. Nomen גֶּרֶשׁ descendit a rad. גָּרַשׁ expulit, eiecit, ac proinde cum כַּרְמֶל iunctum grana excussa denotat. Cum igitur Leu. II. 14 & XXIII. 14. non tantum τῶ כַּרְמֶל contra distinguatur τὸ קָלִי, verum etiam prius nomen *singularis* sit *numeri*, cuius vocibus Scriptura S. quandoque *collectam multitudinem*, vel etiam *totam speciem* exprimit, docente Glass. Phil. V. L. III. Tr. I. Can. XXIII. sequitur, quod vox posterior aliud quid, quam spicam notet. Obiicies forsan cum Gussetio, Rob. Steph. aliis כַּרְמֶל & קָלִי tantum *apparandi* modo differre; sed obstant, quae Th. VII. Sect. II. C. I. & Th. IX. huius Sect. dicta. Porro constat, quod לֶחֶם vi radicis לחם vesci significantis, saepius in genere idem sit quod *cibus* quicunque, vt probant exempla Gen. III. 19. Num. XXVIII. 8.

§. II. Ex quibus probabiliter concludo, קָלִי esse fru-

ctum *diuersi* a כַּרְמֶל & לֶחֶם *generis*, & ad minimum potuisse *ad potum* inde conficiendum adhiberi. Tantum autem abest, vt descriptio τῆς קָלִי per אָבִיב קְלוּי בָּאֵשׁ hypothesi meae aduersetur, vt potius illam stabiliat. Nam ex illa videmus, קָלִי non notare fructum *nude aridum* sed ita tostum, vt *combustioni* sit *proximus*. Quare cum probari nequeat nec probabile quidem sit, id cum vllo frumento vel fructu cibi instar tantum vsurpando factum fuisse, cumque constet, praeparari ita fructum Coffée, probabile omnino est, קָלִי dictis in locis illum ipsum esse, potus potius quam cibi vsui destinctum.

Thesis XI.

Nihil potest obiici, quando statuitur, causam potus Coffée materialem, i. e. fabas seu grana, siue tosta, siue minus, aeque ac reliqua Deo fuisse oblata.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

In antecedentibus probaui, quod τὸ קָלִי a frumentis differat, adque legumina dubio procul pertineat. Atqui non liquet, vllas alias fabas ita torreri, vt dici possint קָלִי, exceptis iis, vnde potus noster conficitur. Planum autem est Leu. II. 14. & probabile C. XXIII. 14. recenseri *obiectum* τῆς מִנְחָה & τῆς קָרְבָּן *muneris & oblationis*, des Speiß-Opffers. Porro sub vocibus גֶּרֶשׂ כַּרְמֶל & לֶחֶם frumenta comprehendi possunt, a quibus τὸ קָלִי distinguitur. Quid igitur eo est probabilius, quod hoc notet *causam potus Coffée materialem*, hancque proinde Deo fuisse oblatam, & *vel* ex vero, *vel* in ampliatione ita dictam? Accedit, quod Leu. II. 14. sermo sit de מִנְחַת בִּכּוּרִים & de fabis Coffée constet, quod sint omnium *primi fructus*, cum per totum annum dentur maturae immaturis mixtae. Quid? quod haec מִנְחָה inter alia *oleum* additum habuisse legatur. Fortassis hoc oleum ex fabis nostris fuit confectum, cum hae sint oleo valde refertae. Denique *esculentorum* & *potulentorum* siue *liquidorum* vnus idemque Author clementissimum Numen est, pro his proinde ac pro illis per oblationem honorandum. Qui igitur absurdum esset aut in ludibrium cederet, sistatuatur, causam potus Coffée materialem *Deo fuisse oblatam*, vel ipsum etiam eius *oleum* ad מִנְחָה perti-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682/phys_0034
DFG

pertinuisse? An propter hodiernum earum abusum fabae hae desinunt esse bona Dei creatura cum gratiarum actione & precibus sanctificanda & vsurpanda? Annon *vini*, quod ad libamen pertinuit aliarumque rerum, quibus abutuntur multi, mentionem iniiciunt sacrae paginae? Quî fieret, vt religioni ducendum esset, statuere, quod fabae potus Coffée ad *sacrificiorum species* sint referendae?

Thesis XII.

Nullus dubito; quin Barsillai de sedanda siti pariter ac fame Dauidis Regis & populi sollicitus 2 Sam. XVII. 28. non mera edulia, quin potius & potulenta subministrauerit.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Tritum est vernaculae nostrae prouerbium idque veritati consentaneum: Giebt einer Speise sonder Tranck, so weiß man ihm gar schlechten Danck. Probatum quoque est, populum, cuius in gratiam Vir illae quae l. c. recensentur, attuliisse legitur, & fame & *siti* laborasse, vid. Th. XII. C. I. Sect. II. Annon ergo probabile, eundem esculentis iunxisse *potulenta*? Quaenam vero quaeso? nec de vino, nec de vllo alio potu eiusque materiali aliquid habetur, nec ad hoc commode referri potest, praeter τὸ קָלִי. At, inquis, bis l. c. vox haec occurrit; num vtraque vice poulentum notat? Respondeo: *prius* קָלִי *vel* significare potest materiale potus in ampliatione ita dictum, *vel* edulium esse, ex vno tamen eodemque fructu nempe קָלִי constans, *posterius* autem est *vel* קָלִי vere קָלִי vel potus iamiam praeparatus. Clarius: *prius* קָלִי forsan indicat vel cruda grana, vel ad escam praeparata, *posterius* vel potum ipsum, vel materiale illi destinatum. Vt adeo *fructus* quidem vtrobique maneat *idem*, *duplex* tamen eiusdem *apparatus* sit intelligendus. Cum igitur τὸ קָלִי ad nihilum proximius accedat, quam ad potum Coffée, non video, quare per illud non debeat intelligi.

Thesis XII.

Rebus sic stantibus haud exiguo probabilitatis gradu gaudet hypothesis, quod potus Coffée iam dudum fuerit notus & per fructum קָלִי intelligatur.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

Est haec thesis nil nisi *collectio* ex hactenus dictis legitime deducta, quam paucis probare & illustrare liceat. Causa ex qua potus nostri refrigerationi imprimis inseruientis sunt grana vel fabae (per Th. I. Sect. I.) τὸ קָלִי ad legumina pertinet (per Th. XI. C. I. Sect. II.) Aestas terrarum Orientalium varios refectionis modos docuit (per Th. V. C. I. Sect. I.) Iudaeos nuda aqua ad refectionem contentos fuisse probabile non est, (per Th. V. C. II. Sect. I.) perinde ac illud, eos

nuda grana torrida cibi loco vſurpaſſe. (per Th. IX. l. c.) Significatus vocis קָלִי in potum noſtrum optime quadrat. (per Th. VI. l. c. &c. &c.) Quare probabile eſt, hunc per illam ſignificari. Theſin quodammodo *illuſtrant*, quae ſequuntur, teſtimonia. Tremellius & Iunius poſterius קָלִי 2 Sam. XVII. 28. pro *lentibus toſtis* habent. Belgae vertunt: Linſen auch geröſt. Guſſetius ex Bocharti Hieroz. dicit, *legumen* illud ſonare, nempe *cicer frixum* Arabice Vsnem, quod ſaporeſit ſalſugineo & cum lacte edi (cur non & bibi?) ſoleat, quodque in ſartagine praeparetur & torreatur. Denique probari nequit, quod lentes fuerint toſtae, & quod קָלִי notet Grützе, nec indicari, qualis polenta debeat intelligi. E. explicatio, quam ſuppeditat hypotheſis, vocis קָלִי omnium erit probabiliſſima.

SECTIO II.
REMOTIVA, SEV OBIECTIONVM SOLVTIO.

Obiectio 1.

Antiqua eſt ſententia, quod קָלִי frumentum notet, cibi inſtar a populo Iſraelitico adhibitum.

Reſponſio. Id me minime fugit, ſicut allegatae in ſuperioribus verſiones abunde exponunt. At enim vero, non ſemper & vbique verum eſſe, *optimum quod antiquum*, quis neſcit? Haud enim exiguus earum numerus opinionum eſt, quae pro veris diu habitae tandem accuratiori diſcuſſae ſtudio conciderunt. Quare non ex antiquitate, ſed ex veritate ſunt ponderandae, quam ſi demonſtrare & ad liquidum omnino perducere non licet, in *probabilitatis* terminis erit ſubſiſtendum, illaque ſententia aſſumenda, quae plurimos probabilitatis gradus admittit. Atqui totus in eo hactenus fui, vt hos hypotheſi meae vindicarem, & antiquam ſententiam illis deſtitutam oſtenderem, quo vero ſucceſſu id a me factitatum fuerit, aequo aequi Lectoris iudicio lubens relinquo. Hinc obiectio hypotheſi meae nihil praeiudicat.

Obiectio 2. Studium alios taxandi, & pruritus noui quid in ſcenam producendi nouarum opinionum matres ſunt ſat infelices.

Reſponſio. In *theſi* concedo, in *hypotheſi* vero & applicatione ad memet & praeſentem meam tractationem totum nego argumentum. Nam conſcientiam teſtor, me nolle alios *taxare* virosque eruditos, ὧν ἐκ ἐμοὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι, perſtringere. Suſcepi autem laborem hunc ſuaſu potiſſimum duorum quorundam Amicorum, quos pro multis amicitiae fauorisque teſſeris obſtrictus colo, dum Spiritus hos regit artus, quorum conſilio excitatus periculum feci, an poſſem hypotheſin aliqua ſaltem probabilitatis ſpecie tueri. Nec *nouitati* hac in re ſtudeo, quandoquidem hoc πρόβλημα iam dudum fuit ventilatum. Nam Authores Sel. Bibl. Theol. P. XLV. p. 830. ſcribunt: Es ſey bekandt, daß auch der ſeel. Herr Caſpar Neumann die in dem A. T. offt vorkommende und ſo genannten Saugen vor nichts anders als vor Coffee-Bohnen halten wolle. Quamuis

uis autem J. S. Suſchcke in epiſtola ad I. E. E. quae ibidem P. LXXIX. p. 897. ſeqq. habetur, de eo dubitet, & B. Neumannus ipſe in Biga difficultatum ſacrarum de gemmis Vrim & Thumim dictis Ex. XXVIII, 30. & de cibo Samariae obſeſſae II. Reg. VI, 15. cui iuncta eſt reſponſio ad quaeſtionem amici: num potus Coffée dicti aliqua in ſacris literis dentur veſtigia? ad Ill. Dn. de Leibniz ſcripta Edit. vlt. Lipſ. 1709. in 4to ſcribat, quod קָלִי fuerint puls, alica, ptiſana, polenta, Griß, Grütze, Graupe, fatente hoc etiam verſione noſtra germanica II. Sam. XVII, 28. totumque ſcriptum his concludat verbis: *Breuiter: frumenta atque legumina haec p. integra attulere amici Dauidis, p. in molendinis atque mortariis, pro more illorum temporum, attrita:* **ganz und auch gemahlen oder geſtampfft.** *Adfuiſſe autem in his aliquid potui noſtro Coffée dicto ſimile rebus ſic ſtantibus dici nequit:* in Tenzelii tamen **monathlichen Unterredungen** Anni 1698. p. 393. eadem hypotheſis propoſita legitur, vt & in Bibl. Acc. Dachſ. ad Ezech. c. IV. v. 9. & ex his ſequitur, inſimulari me nouitatis non poſſe. Et ponamus etiam, plane nouam eſſe hypotheſin, an propterea non fuit proponenda? Nonne multa adhuc in codice ſacro ignota ideoque ruminanda? Vide, ſi placet, Th. VII. & VIII. cap. I. Sect. I.

Obiect. 3. Omni plane vſu hypotheſis haec, euicta licet, caret, nec vllum ex ea emolumentum vel ad Theologiam, vel ad Philologiam redundat.

Reſp. (1) Dubio caret, quod vel vnica ſacrarum paginarum vox digna ſit, quae conſideretur accurate, cuiusque ſignificatio genuina eruatur. Vid. Th. VIII. S. I. crp. I. Quod cum in diſputatione hac, ratione vocis קָלִי conatus ſim facere, feciſſe me aliquid arbitror, maximo non indignum Philologo. (2) Theologiae pars ſumme neceſſaria eſt *Exegeſis*, cuius ſane non vltimum merito vocatur adminiculum *Philologia*, quae non tantum circa *integras enunciationes*, verum etiam circa *ſingulas voces* enodandas occupatur. Iudicet nunc vnusquisque Lector candidus, an non ad vtilitatem Theologiae & Philologiae vergat hypotheſeos pertractatio, ad hanc quidem *immediate*, ad illam vero *mediate*.

Obiectio 4. Cocceianiſſimum, voces ſacrarum literarum tantum, quantum poſſint, ſignificare, defendentem haec hypotheſis ſapit.

Reſponſio. Si verum eſſet, quod vult obiectio, ad furcam & patibulum relegarem hypotheſin, & nunquam defendendam ſumerem. At illud ipſum eſt quod nego & peruego. Breuem inſtituamus inter *Cocceianorum* & *meam hypotheſin* collationem, & videbimus imputationis vanitatem. *Cocceiani* ſua hypotheſi impingunt in Canonem Exeg: *Senſus Scripturae literalis in vna oratione non, niſi vnus eſt*, quem contra hos aeque ac Pontificios concinne vindicat DN. D. Klugius, Praeptor meus admodum Reuerendus, in Prael. Exeg. P. I. C. II. §. 12. Sed *mea hypotheſis* vnam eandemque genuinam vocis קָלִי ſignificationem tuetur, propoſitam Th. IV. C. I. S. II. Quid ergo commercii eſt illi cum Cocceianiſmo?

Obiectio 5. Res peſſimi eſt exempli, vocibus hebraicis nouas ſignificationes aſſingere, vel longius petitas, vel ipſis plane non competentes.

Reſponſio Vid. Reſp. ad Obi. 2. Propoſitam vocis ſignificationem ex *radi-*

ce

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682/phys_0037
DFG

ce probaui & ex *circumſtantiis* locorum, vbi occurrit, probabilem reddidi hypotheſin, quod illa notet cauſam potus Coffée dicti materialem. Nihil itaque voci affingitur, quod aut longius petitum ſit, aut illi prorſus non competens.

Obiectio 6. Abuſus potus huius iam iam ſat grauis per hypotheſin hanc ſtabilitur, augetur, promouetur.

Reſponſio Si accuſare ſufficit, quis innocens erit? Qui *moderate* potu hoc vti hactenus fuere ſoliti, a conſuetudine ſua ob hypotheſin non recedent, quin in ea potius pergent. Eo autem *abuti* volentes nihil curant, rei tamen abuſus non tollit eius vſum. Nec iis frigidam affundit eorumque abuſum approbat hypotheſis quippe quae non tam *ad potum ipſum*, quam *ad eius in ſacris literis veſtigia* ſpectat. Qui vero de *potu ipſo* plura deſiderant, adeant Duncani Tract. de abuſu potus Coffée, Laur. Strauſſ. diſp. de Virtut. Coffée, ioh. Veslingii Obſeru. & epiſt. 55 a Th. Bartholino edit. p. 179. Franciſci Oſt- und Weſt-Indiſchen Luſt-Garten P. I. p. 294. Fiſch. Diſſert. de potus Coffee vſu & abuſu Erfordi hab. & reliquos Authores alleg. in Lex. Vniu. l. c.

Concluſio. Haec fere ſunt, quae hypotheſi meae *obiici* poſſe putaui & praeuidi, ideo h. l. remouenda, quoniam fortaſſis diſputationem legent, quibus reſpondere non poſſum. Sed tempus eſt vela contrahendi; quare Colophonis loco omnes ac ſingulos, qui pagellas has legere non dedignabuntur, rogo & obteſtor, velint mihi veniam dare, ſi forte alicubi errauerim, perpendentes, *quod* homoſim, a quo nihil humani ſit alienum, quoniam errare humanum, *quod* de nullo articulo fidei nullaque re, a qua Salus Graeciae, quod aiunt, pendeat, hic agatur, *quodque* ad cedendum probabiliora docenti promtus ſim paratiſſimuſque. Quod reſtat, Deo Opt. Max. pro viribus hoc in negotio conceſſis gratias ago, quas poſſum, maximas, cumque humillime precor, vt *Philologiae* ſtudio indies clementiſſime vberrima largiatur incrementa!

SOLI DEO GLORIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682/phys_0038
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682/phys_0042
DFG

ce probaui & ex *circumſtantiis* locorum probabilem reddidi hy-
potheſin, quod illa notet cauſam potus aterialem. Nihil itaque
voci affingitur, quod aut longius petitu rorſus non competens.

Obiectio 6. Abuſus potus huius ia per hypotheſin hanc ſta-
bilitur, augetur, promouetur.

Reſponſio Si accuſare ſufficit, quis Qui *moderate* potu hoc
vti hactenus fuere ſoliti, a conſuetudine ſin non recedent, quin
in ea potius pergent. Eo autem *abuti* urant, rei tamen abuſus
non tollit eius vſum. Nec iis frigidam ue abuſum approbat hy-
potheſis quippe quae non tam *ad potu* *d eius in ſacris literis ve-*
ſtigia ſpectat. Qui vero de *potu ipſo* p adeant Duncani Tract.
de abuſu potus Coffée, Laur. Strauſſ. di ffée, ioh. Veslingii Ob-
ſeru. & epiſt. 55 a Th. Bartholino edit. i Oſt- und Weſt-Indi-
ſchen Luſt-Garten P. I. p. 294. Fiſch. Di offee vſu & abuſu Erf-
fordi hab. & reliquos Authores alleg. i .

Concluſio. Haec fere ſunt, quae hy *iici* poſſe putaui & prae-
vidi, ideo h. l. remouenda, quoniam fo nem legent, quibus re-
ſpondere non poſſum. Sed tempus eſt ; quare Colophonis lo-
co omnes ac ſingulos, qui pagellas has l nabuntur, rogo & ob-
teſtor, velint mihi veniam dare, ſi forte m, perpendentes, *quod*
homoſim, a quo nihil humani ſit alienu re humenum, *quod* de
nullo articulo fidei nullaque re, a qua Sa od aiunt, pendeat, hic
agatur, *quodque* ad cedendum probabilio us ſim paratiſſimuſque.
Quod reſtat, Deo Opt. Max. pro viribus conceſſis gratias ago,
quas poſſum, maximas, cumque h r, vt *Philologiae*
ſtudio indies clementiſſi argiatur
increme

SOLI DEO

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 093
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
mm inch
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
UB Rostock
05 1500
the scale towards document

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832060682/phys_0043
DFG